

Iussu societatis antiquariorum Turicensium [...]

Autor(en): **Mommsen, Theodor**

Objektyp: **Preface**

Zeitschrift: **Mitteilungen der Antiquarischen Gesellschaft in Zürich**

Band (Jahr): **10 (1854)**

PDF erstellt am: **27.07.2024**

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

*Minimum inter tot ac tanta locum obtinent tituli et statuae,
quae neque ipsa tamen negleguntur.*

TACITVS.

Iussu societatis antiquariorum Turicensium quam edo syllogen inscriptionum Latinarum intra Helveticae confoederationis fines adhuc repertarum cum ad easdem leges pararim, quas secutus sum in inscriptionibus regni Neapolitani Latinis edendis, de operis huius instituto et ratione breviter monere magis videtur opus esse quam accurate praefari. Nam et factum id est cum illum librum emisi, et pleraque quid significant et cur ita proponantur, facile intellegent homines gnari rerum antiquarum et in titulis vetustis auctorumve antiquorum scriptis versandis et examinandis exercitati. Imperiti autem et plane rudes homines melius facient, ubi lapidibus abstinere neque perversa quadam diligentia primariis auctoribus perperam uti magis volent quam a secundariis doceri.

Inscriptiones antiquae in Helvetia coeperunt investigari ante annos fere trecentos, nam quae de Petrae pertusae titulo caecutivit monachus Colmariensis saeculi XIII (v. add. ad n. 181) quaeque de Constantiensi n. 239 narrat auctor Italus saeculi XV incipientis, aliaque similia artis huius quasi incunabula, casu magis quam consilio prolata esse apparet. Quae si mittimus, primus rem inchoavit syllogae Ingolstadii anno 1534 ab Apiano editae Helveticos titulos quinque (n. 154. 164. 178. 198. 239) qui inseruit, qui videtur fuisse *Beatus Rhenanus*. Hunc exceptit longeque superavit *Iohannes Stumpfius* natione Germanus domo Bruchsaliensis, parochus Bubikoni, deinde Stammheimi in agro Turicensi. Zwinglianorum ille sectam relicta vita monastica secutus est et dignus fuit illa aetate, qua fervente libertate et vigente doctrina et virtus alebatur litteris et libertatis ardore litterae inflammabantur. Stumpfius Helvetiam universam ad rerum antiquarum memoriam investigandam peragravit et tanta diligentia rem peregit, quantam neque priorum ullus adhibuit neque post eum per ducentos fere annos quisquam aequavit. Unde chronica eius splendide anno 1548 edita et adhuc sunt et semper erunt epigraphicae Helveticae primarium fundamentum. Nam qui Stumpfium subsequuntur longe clariores auctores multoque saepius adhibiti Tschudius, Ios. Simlerus, Guillimannus, Plantinus, alii id egerunt ut illum verterent vel certe expilarent, alii ut interpolarent; quod fecit *Tschudius*, Stumpfii, quem non

amabat ut Zwinglianum et monasticae turpitudinis liberum accusatorem*), nomine ubique suppresso singulari vafritia et multo magis singulari fortuna. Iam quod in hac editione suum locum Stumpfio reddidi eumque vindicavi a tecta adversarii ira, ea re et iustitiae sero quidem sed tamen satis me fecisse existimo et permultum profecisse in titulis compluribus recte tractandis. — Post Stumpfium apud Helvetios dudum iacuerunt haec studia neque in Helvetia sola; nam ut in Italia Manutius et Smetius ingenti intervallo separantur a Maffeo et Marinio, ita ubivis fere per saeculum XVII inscriptiones neglegebantur. Omnino vera philologia et Scaligerorum Lipsiorumque et nostrae aetatis principum virorum semper quam maxime a fuit ab inscriptionibus aspernandis; sed neglexerunt negleguntque eas qui extra bibliothecarum pulverem nihil viderunt videntque taediosi magis quam docti homines, quales fuerunt qui regnabant saeculo decimo septimo. Unus dignus est huius saeculi auctor hic qui nominetur *Iacobus Spon*, qui bene meruit de Genavensibus titulis sylloge ea quam primum edidit anno 1680. — Saeculo XVIII extitit *Ioh. Gasparus Hagenbuchius* Turicensis vir doctus et indefessus, sed cui dii ultra modum indulserunt et scientiam et patientiam; ita enim scitus fuit ut per quadraginta annos continuos inter canonicale illud otium de Helveticis titulis commentatus tamen scribendi terminum et docendi initium inveniret nullum, ita autem patiens laboris, ut lectorem nisi fortasse sui similem caelibem aliquem adhuc nullum obtigisse ei certo spondere audeam. Sed tamen multa collegit, ut erat magni nominis vir et diligens titulorum recens rectorum investigator; multumque adiuverunt eum quae duo aequales Gallohelvetici, *Abauzitus* Genevensis et *Ruchatus* Lausannensis per ea tempora repererunt. Quorum hic multa protulit nova ex agro Valdensi, etsi pauca edidit; *Abauzitus* autem praeterea cura et sollertia qua valuit ita bene meruit de lapidibus patriis, ut primus ei locus inter Gallohelveticos auctores epigraphicos iure tribuatur. Sed tamen non satis profuerunt eruditae quae tres hi viri collegerant; *Abauziti* enim liber cum a *Muratorio* in inscriptionum thesauro conficiendo neglegeretur, *Ruchatiana* autem et *Hagenbuchiana* pleraque in schedis delitescerent, ad externos certe ex horum penu non multum pervenit. Succrevit deinde titulorum nova messis fortunae beneficio et aucta sensim describentium copia; ita ut quosdam citem, *Saloduri* titulos anno 1762 repertos viri docti ibi degentes sedulo exceperunt, quamvis non ederent; *Exchaquetus* reperit Valdensia complura praesertim cippos miliarios aliquot; *Logii*, *Levadii*, maxime *Murithi* beneficio innotuerunt tabulae aeneae repertae in ruinis templi *Poenini*; denique *Ritterus* *Aventicensis* quaedam protulit, *Hallerus* *Vindonissensis* aliaque complura quamquam male

*) *Tschudius* catholicae sectae prudens, sed tamen acerrimus patronus extitit. Quam aegre tulerit quae contra monachos in chronicis dixerat *Stumpfius* homo mitis quidem, sed non ignavus, docet epistula eius, in qua sic est: 'Ich habe nächster Tagen, als mir Musse worden, vil in Her Iohan Stumpfen neuwer Chronik gelesen, worin er, als mich bedunkt, unnothwendig vil Ding geflickt. Was Noth ists z. E. dass er vil Pludermant macht von München, wie sie die Welt betrogen, von dem albernen Wesen der Bilder und dergleichen Sachen, die einem Historico nicht gebürlich, sondern höchstens einem Theologo. Besser wärs, er hätte seine Chronik dermassen geschrieben, dass all Partyen mit geduldigen Ohren mit Anmuth und Danksagung die hätten lesen mögen'.

tamen edidit. Nostra denique aetate Eburoduni, unde usque ad annum 1825 titulus nullus innotuerat, lapides scripti complures simul reperti sunt; item Augustanum tabularium admodum exiguum etsi non ita ut expectares tamen auctum est his annis proximis per effossiones praesertim Schmidianas, neque fere fuit vicus oppidumve antiquum intra fines Helvetios, unde non novi aliquid ad nos perveniret. Sed qua ratione tabularium nostrum lapidarium sensim increverit et quam ampla pars eius hoc demum saeculo accesserit, optime docebitur dinumeratis qui quo saeculo accesserint titulis. Quod si recte computavi in re satis dubia et ancipiti, titulorum lapidarium quos ipse edo trecentos triginta octo

Stumpfius novit	43
accesserunt ad annum 1600	22
ad annum 1700	47
ad annum 1800	99
ad annum 1854	127
	<u>338</u>

Figlinas autem et omnino ex supellectile domestica exceptas auctores antiquiores fere omnes neglexerunt harumque colligendarum studium nostra demum aetate inferbuit. Quamquam in hac computatione non neglegendum est in inscriptionibus nostro saeculo repertis multo plura fragmenta satis inutilia connumerari, quae olim spernebantur, tamen nihilo minus satis apparet quam celeriter augeatur insigne hoc antiquitatis promptuarium, modo attendant homines animumque ad id advertant. Ita iure speramus fore ut posteris deferatur hereditas aucta semper et locupletior, qua adita multa nos errasse, quaedam recte divinasse olim praedicabunt. — Cui titulorum augmento cura respondit, quam eruditi Helvetii in patriis monumentis colligendis et expoliendis collocarunt, qua cura ommissa monumentisque per ephemerides et huius generis libros disseminatis nemo ignorat fructum inde fere nullum in communes litteras redundare. Duo viri sunt, qui in hoc studio elaborarunt, *Ioh. Gasp. Orellius* Turicensis, qui inscriptionum Helveticarum syllogen ter edidit annis 1826. 1828. 1844, et *C. L. Rothius* Basileensis, qui Basileenses lapides a. 1843 collegit; quorum ille ampliora et pleniora praestitit, hic accuratiora et longe meliora. Nam Orellium quamquam in hoc labore diligentia Hagenbuchiana adjuvit, cuius ille Helveticam syllogen sibi sumpsit pro operis fundamento, tamen diligentia aliena probe uti cum nesciret, factum est, ut subitaria quadam subsecivaque opera magis quam ea qua par est ponderatione et sedulitate librum eum elaboraret. Omnino ut laudo elegantiam hominis et brevitatem et maxime vividum quendam aetatis Romanae sensum et ab umbraculis eruditorum ad ipsam rerum lucem libenter emergentem, ita desidero saepe iudicium, patientiam autem fere semper et ut quaedam bene eum video divinasse, ita longe plura temere fudisse, genuina inconsiderate corrupisse, vera pro falsis, falsa pro veris habuisse et omnino tam saepe offendisse, ut eius libro amplius standum esse nequaquam aequo animo patiamur. Ita factum est ut et amici Helvetii hortarentur me ad hunc laborem suscipiendum et ipse libenter hanc eis operam darem; fecique quod potui, ut optimis hospitibus eo quo possem munere advena ipse et incola satisfacerem.

De fontibus syllogae meae hoc tantum dicam, primum inspexisse me lapides qui extant reperiri potuerunt tantum non omnes; cuius rei causa biennio elapso Helvetiam peragravi. Deinde adhibui ut par erat libros codicesque quotquot mihi innotuerunt et investigari potuerunt; in quo negotio difficillimo ita me adiuvit cum amicorum humanitas tum bibliothecarum publicarum quae sunt in Helvetia administratio liberalis et sollers, ut vix quidquam quod sit alicuius momenti adhuc desiderem. Corpora inscriptionum, quae prodierunt usque ad Hagenbuchii aetatem, non excussi denuo tota, ut Helvetica inde exciperem, sed in hac re Hagenbuchiana opera stari posse mihi visus sum. Citavi auctores quam potui brevissime, indice librorum scriptorum et editorum quos adhibui praefationi subiecto; cui¹ indici subinde inserui, si qua monenda videbantur de auctorum fide et sollertia. Quos citavi libros, eos usurpavi ipse, nisi si quibus additum est me non vidisse*). Ceterum rem ita institui, ut primum libros evolverem et variis lectionibus ad singulos titulos enotatis lapides conferrem; ut sperare liceat non multos errores commissos esse in lapidum a me collatorum lectione constituenda.

Recepi in hanc syllogen titulos omnes repertos intra fines qui nunc sunt confoederationis Helveticae; adsumpsi paucos (n. 239. 324) qui quamquam hodie extra fines servantur, tamen olim intra eos limites videntur stetisse, exclusi autem quos sine iusta causa Orellius (n. . . . = 54; . . . = 77; . . . = 78; 279 = 83) Helveticis inseruit Germanicos et Sabaudicos. Graeca non tam exclusi consulto quam reperi nulla; vix enim in censum veniunt quae leguntur n. 350, 16; 354, 6; app. 21; fals. 31. 34. 35. Etruscos vel certe Etruscis litteris scriptos lapides non recepi, cum nuper ediderim separato commentario**). Medii aevi titulos, id est scriptos post expulsos ex his partibus Romanos, praetermisi; in re dubia tamen melius visum est locum dare titulis, unde leguntur n. 307 et 308 elogia Baudo[li]lli et Radoarae, qui haud scio an fuerint liberi Alamanni. Praeterea appendici tres titulos Curienses n. 25. 26. 27 saeculi fortasse septimi vel octavi ideo inserui, quod ad quaestionem de fide Tschudii diiudicandam non minimum momentum afferre videbantur.

Dispositionis fundamentum est ordo geographicus, quem tamen ita temperavi, ut ad oppida vicosque maiores lapides digererem omnes et solitarios lapides ad proximum quemque vicum referrem. Publicam divisionem si sequi voluissem, civitatum monumenta coniungi debuerunt; quod consulto non feci (v. p. 27). In singulis capitibus tituli sacri incipiunt, sequuntur imperatorum et magistratum populi Romani et militares, deinde qui pertinent ad rem municipalem; agmen claudunt privati. Hoc ordine propositis titulis reliquis (n. 1—308) sequuntur miliarii vel leugarii (n. 309—338), quos coniungere et ad vias redigere placuit, et supellectili domesticae intra Helveticos fines aut repertae aut certe adservatae, maxime instrumento cretaceo inscripta (n. 339—354). Absoluta sylloge inscriptionum Helveticarum subiicitur appendix, qua recensentur

*) Quod notare soleo sic: q(uem) n(on) v(idi).

**) *Die nordetruskischen Alphabete auf Inschriften und Münzen.* 1853. (*Mittheilungen der antiq. Gesellschaft in Zürich Bd. VII Heft 8.*) Pertinent huc n. 5. 6.

et lapides indicati non descripti, et tituli nunc in Helvetia extantes originis externae, et tituli externi male inter Helveticos a quibusdam auctoribus relati, et medii aevi Curienses tres, de quibus supra dictum est. Extremo loco collocantur inscriptiones falsae et suspectae, quarum ordo sincerarum ordinem imitatur. — Sequuntur indices de quibus quae monenda sunt, in conspectu ipsis indicibus praefixo explicatum est. — Mapparum duarum quas addidi altera sistit locos, in quibus tituli Latini reperti sunt exceptis tegulis castrorum Vindonissensium, altera has ipsas stationes Vindonissenses; quibus tabulis et Helveticis hominibus antiquum patriae statum quodammodo mihi videor repraesentasse et exteris non spernendum adiumentum suppeditavisse in titulis ad artis nostrae leges explicandis.

In singulis titulis tractandis quas leges secutus sim, usus facile lectores docebit. Titulos ita proposui ut quam proxime typi admittunt lapides imitarer; nexusque ut retinerentur sedulo curavi, interdum textu in margine denuo exhibito litteris minusculis, ubi elementorum ligaturum abundantia lectionem impediret. Quas minusculas litteras ipsi titulo deprehendes insertas, eas aut ex supplemento aut ex coniectura scito proficisci; ex correctione ubi oriuntur, semper ut par est traditam lectionem reperies in adnotatione. Maiusculis inclinatis quid significetur, ubi in adnotatione explicatur; plerumque ita distinxī lapidis superstitis partem olim descriptam hodie deperditam. Maiusculis scalpro adrasis dubiam lectionem significari nemo nescit; virgulis elementisve ubi punctum suppositum vides ut e. c. n. 14, consulto litteram eam aut plane expunctam aut certe laesam esse teneto. Titulis quae adiecta sunt in margine, anni praesertim consulum imperatorumve, explicatione non indigent. Supra titulum ipsum legitur ubi repertus est locus; infra exhibentur auctoritates et si qua notanda erat lectio varia. In auctoribus recensendis si qua non statim intelleguntur, auctorum elenchus praefationi subiectus consulendus est. Auctores qui titulum ex libro edito repeterunt plerumque silentio praetermisi exceptis tamen syllogis maioribus, quas semper citavi. Quantum fieri potuit, investigavi, unde quisque auctor titulum sumpserit; ubi vidit lapidem, plerumque indicavi addita nota *q(ui) v(idit)*. Ad variam lectionem quod attinet, plerumque omisi totam, cum ipse lapidem examinarem; quod ne quis superbius factum insimulet, meminerit plerumque exempla edita contulisse me cum ipsis lapidibus, ut ubi ab illis discesserim, non sine causa factum esse videatur. Contra quos titulos non vidi, iis apposui variam lectionem integram; integram autem dico non eam, quae omnes omnium errores exhibeat, sed quae exempla et primaria et ea secundaria quorum primaria latent vel interierunt, accurate exhibeat. Omnino totam hanc rem ita tractavi, ut tractare solent codices philologi; quorum nemo autographo reperto exempla curat, nemo archetypo amisso antigrapha spernit. Exemplorum inter se coniunctionem etiam, ubi necesse erat, exploravi; multum enim interest in titulo deperdito, utrum ab eodem exemplo reliqua pendeant omnia, an saepius lapis descriptus sit.

Haec habui, quae de huius syllogae legibus monerem. Iam tanquam exeunti ludio duo mihi restant, ut gratias agam iis, quorum opera factum est ut liber prodeat minus imperfectus, deinde ut nuntiem de opere continuando. Ad illam rem quod attinet, quam multa multis debeam, quaevis libri pagina monstrat; maxime autem de eo meruerunt tres viri Troyonus Lausannensis,

Rothius Basileensis, Kellerus Turicensis, qui singuli quae collegerant Troyonus Valdensia, Rothius Augustana, Kellerus cum alia tum Vallensia, singulari humanitate et liberalitate tota mihi patefecerunt, Kellerus praeterea quasi quodam laboris consortio nullam boni socii operam non mihi praestitit. Quibus adiungam optimos et indefessos operis adiutores Soretum Genevensen, G. Vischerum Basileensem, Meyerum et Hornerum et Baiterum Turicenses, quibus molestus saepe veni, nunquam cum repulsa abii. Omnino ea quae viget apud Helvetios antiquarum rerum cara recordatio et diligentissima investigatio permultum studia mea adiuvit; benigne enim accipiunt homines quamvis exteros et ignotos, ubi eos vident propter has res se adire, et mira quadam diligentia patrias antiquitates servant. Extant hodie musea lapidaria quibuscunque locis tituli paullo maiore numero prodeunt, et recte custodiuntur lapides ubique, excepta una Geneva, cuius musei turpem condicionem cives deplorant, exteri modo rident modo indignantur. Idem fere valet de codicibus scriptis. Vix ullam praeterea hodie provinciam esse puto, in qua sexti decimi saeculi scriptores graviores fere omnes ad autographa exigere liceat; ut mihi accidit in Helvetia, quae adhuc servat ipsa Stumpfii Tschudii Bonivardi manu scripta chronica. Ita factum est, ut quem mihi molestum repraesentarem laborem iucundus efficeretur notorum studio et ignotorum benevolentia, quibus omnibus hanc peregrini hominis operam probari vehementer cupio.

Restat nuntiatio. Titulos extra ordinem iacentes neque relatos in eam ad quam pertinent syllogen non multo minus eruditos latere quam qui sub terra adhuc latent supra iam monuimus; neque tamen fieri potest, ut eiusmodi sylloge singulis annis recudatur. Utrumque ut conciliaret, societas antiquariorum Turicensium constituit hanc syllogam ita continuare, ut supplementum eius paginarum numero continuato quotannis vel certe brevibus intervallis prodiret huic volumini adiungendum, donec additamentorum moles ita excrevisset, ut novam syllogen requireret. Hortamur igitur viros doctos et rerum patriarum curiosos, ut ipsi nobiscum communicent cum quae in hoc volumine emendanda esse apparuerit tum quae deinceps prodierint, item ut de hoc societatis decreto eos quorum interest deinceps commonefaciant et quantum quisque potest in eo nobiscum elaborent, ut habeant Helvetii duas res ad inscriptionum studium recte ordinatum necessarias, primum corpus inscriptionum absolutum, deinde sequelam eius et continuationem, ephemerides epigraphicas.

Scrpsi Turici mense Februario MDCCCLIV.